

Communitè tamen conveniunt Doctores, id licere, si mutatio fiat in bonum certe aequale, aut probabiliter melius, licet ad cavendum hallucinationis periculum semper expediat, ut haec de consilio Confessarii fiant.

IV. Sacerdos delegatus ad vota mere commutanda, ea in opus notabiliter minus commutare nequit; quia secus magna ex parte dispensaret, et sic acceptam facultatem excederet. Attamen facultas vota commutandi non adeo stricte est interpretanda, ut ad opus omnino aequale coarctetur, sed latiori sensu accipienda est, adeo ut ad opus aliquanto minus sese porrigat; secus enim innumeris difficultatibus et scrupulis obnoxia foret, cum difficillimum sit aequalitatem invenire in rebus omnino disparatis. Insuper commutatio fere debet in allevationem eius fieri, qui sese voto obstrinxit. — S. Lig. *ibid.* etc.

335. **Quaesita.** — **QUAER.** 1<sup>o</sup> *An requiratur causa aliqua ad votum in opus aequale, vel paulo minus commutandum?*

*Resp.* 1<sup>o</sup> *Affirm.* quoad *licitatem*, quia secus delegatus prodige commutaret, in vanum potestate commutandi utendo.

*Resp.* 2<sup>o</sup> *Probabiliter etiam affirm.* quoad *validitatem*, quia delegatus sine causa commutans, limites suae potestatis videtur excedere. Attamen sententiam oppositam aequè *probabilem* dicit S. Lig. n. 245. Minor tamen requiritur causa ad commutandum, quam ad dispensandum; et rursus minor requiritur ad commutandum in aequale, quam in minus: sufficit enim maior personae propensio, vel minus periculum votum transgrediendi. — S. Lig. n. 244.

**QUAER.** 2<sup>o</sup> *An, facta commutatione, liceat redire ad primum opus?*

*Resp.* 1<sup>o</sup> *Affirm.*, si commutatio facta fuerit in minus vel aequale, quia primum opus est aequè gratum Deo, imo et gratius videtur. — *Ita communiter.*

*Resp.* 2<sup>o</sup> *Affirm. probabilius*, etiamsi facta fuerit in melius, quia commutatio fit in favorem votantis. — S. Lig. n. 248.

336. — **QUAER.** 3<sup>o</sup> *An debeas redire ad primum opus, si secundum fiat impossibile?*

*Resp.* 1<sup>o</sup> *Neg.*, si mutatio facta sit alterius auctoritate, etiamsi tua culpa impossibile fieret; quia prior obligatio per commutationem ipsam dissoluta est.

*Resp.* 2<sup>o</sup> *Affirm.*, si pro tuo arbitrio commutationem feceris, quia tunc non dissolvitur prior obligatio, sed tantum suppleri supponitur per aequalem aut meliorem. — *Ita communissime.* — S. Lig. n. 249.

**QUAER.** 4<sup>o</sup> *An, commutato voto reservato, etiam materia subrogata reservata maneat?*

*Resp.* *Neg. probabilius*, quia materia illa, quae substituitur, non est per se reservata, quamvis idem vinculum voti habeat. — S. Lig. n. 260., et alii communiter. — V. *Casus*, n. 337. et seq.

Caeterum sedulo adhortandi sunt fideles, praesertim mulieres et adolescentes, ut nunquam vota emittant nisi de consilio vel approbatione Confessarii; praesertim si de voto castitatis agatur. Confessarius autem veniam seu consilium emittendi votum perpetuae castitatis non nisi difficillime et personis diu probatis atque maturis aetate concedere debet.

### DE III. DECALOGI PRAECEPTO

*Memento ut diem sabbati sanctifices. Exod. 20. 8.*

337. — Tertium Decalogi praeceptum naturale est, quatenus praecipit, ut aliquod tempus publico divino cultui dedicetur; quatenus vero determinate designat diem sabbati, caeremoniale est, et in lege nova abrogatum, siquidem pro die sabbati Ecclesia diem Dominicam in memoriam resurrectionis Domini nostri Iesu Christi substituit.

Praeter diem Dominicam Ecclesia instituit alios dies festos ad recolenda Redemptionis nostrae beneficia, vel Sanctorum merita et exempla, mandatque ut illi, non secus ac dies Dominica, sanctificentur.

Hoc praeceptum quatenus affirmativum est, quaedam opera praecipit, et quatenus negativum, quaedam alia prohibet (1); hinc caput duplex.

(1) Ad quaestionem, *an hoc praeceptum sit affirmativum, aut negativum* S. Alphonsus (lib. 3. n. 264.) post Salmanticenses (Tr. 23. c. 1. n. 14.-15.) respondet, *esse affirmativum, dum non obligat semper et ad semper.* Suar., Sanch., Pal., Leand., Fag. cum Salm., n. 15. *contra Caiet. et Fill. etc. qui tuentur esse negativum, cum in eo nihil positivum Iudaeis praecipiebatur, sed hoc negatur.* Vid. Catech. Rom. n. 11.

Verum in hac doctrina tria satis inconcinna Salmanticenses obtrudunt. Primum est in ratione definiendi praeceptum *affirmativum, quia non obligat pro semper*, seu (ut aiunt) *quia multae dantur causae excusantes ab hoc praecepto.* Atqui etiam praecepta negativa causas excusantes admittunt, v. gr. praeceptum abstinentiae.

Alterum est, quod ea permisceant, quae DD. disputabant de hoc praecepto *prouti Iudaeorum erat*, et exinde doctores doctoribus opponant, qui facile conciliari possunt. Ita Suaresius opponunt Caietanum quando hunc Suaresius pro se allegat, et optime conciliat aiendo (*De Relig. Tr. 1. lib. 2. c. 1. n. 7.*): *Formaliter nihil ibi praecipitur, nisi dedicatio quaedam illius temporis ad cultum Dei, quae vocatur sanctificatio illius... Haec autem dedicatio formaliter fit per cessationem ab opere, quae pertinet ad externum cultum per signum negativum declaratum.*

Tertium est, quod doctoribus affirmantibus, hoc praeceptum, prouti *Iudaeis* proponebatur, esse *negativum*, opponant Catechismum Romanum, ubi loquitur de *Christifidelibus.*

## CAPUT I.

DE IIS QVAE DIEBUS FESTIS PRAEICIUNTUR

## ARTICULUS I.

DE IIS QVAE GENERATIM DIEBUS FESTIS PRAESTANDA SUNT

338. **Principia.** — I. Omnes fideles usum rationis habentes tenentur *sub gravi* singulis Dominicis et festis diebus interesse Sacro, nisi iusta causa excusentur. Constat 1<sup>o</sup> ex variis Iuris can. locis, praesertim ex C. *Missas* 64. *de Consecrat.* Dist. 1.: item ex C. *Omnes* 63. *de Consecr.* Dist. 1.; — 2<sup>o</sup> ex omnibus Catechismis, in quibus indubium praeceptum de Missa his diebus audienda declaratur.

Dixi *sub gravi*; agitur enim de re gravi tum in se, tum iuxta estimationem communem fidelium, et unanimum consensum theologorum.

339. — II. Praeter istud, nihil aliud, saltem *sub gravi*, praestare vi praecepti fideles tenentur. Ratio est, quia nihil aliud invenitur certo praeceptum. Est doctrina communis theologorum.

Dixi *saltem sub gravi*. Plerique enim theologi addunt, nec *sub levi per se*. Quamvis enim ideo prohibita sint opera servilia, ut fideles facilius rebus divinis vacare possint, hae tamen nulla lege praescribuntur; alioquin autem finis praecepti non cadit sub praeceptum. — Ita Suarez, *de Relig.* tom. 1. l. 2. c. 16. n. 4. — Elbel, n. 385. et seq., et alii multi, ut fatetur etiam Concina, qui hanc sententiam communem vocat.

Hinc excusatus die Dominica a Missa, non tenetur ratione praecepti persolvere domi preces, quas tempore Sacri recitasset, vel recitare solet. Suarez, *ibid.* (2).

(2) Affertur quoddam responsum s. C. P. F. 4. Ian. 1798. (Buceeroni *Enchir.* p. 37.). Quaesitum est, an opus sit obligare sub peccato fideles Vicariatus Chausi, qui Missam audire non possunt sacerdotum defectu, ad assistendum diebus festis loco Missae, piis fidelium conventibus. Responsum est: « Fideles, qui Missam in proposito casu diebus festis audire non possunt, non ideo solutos esse obligatione sanctificandi festum per preces aliaque pia opera: ideoque magnopere hortandos nec tamen sub reatu peccati (tanquam praecepto Ecclesiae inobedientes) obligandos, ut satagant piis illis conventibus interesse, in quibus pabulo verbi Dei aliisque religionis exercitationibus instrui et

enutrirī valeant et coniuncti precibus in spiritu charitatis divinam opem efficacius implorare valeant ».

Contextus declarat quanta sit obligatio sanctificandi festum per preces aliaque pia opera, dum Missa nequit audiri: nam continenti sermone ex eo veluti principio colligitur, hortandos quidem fideles, non vero sub reatu peccati inobedientiae praecepto Ecclesiae obligandos ad ea pia opera, de quibus sermo factus est in interrogatione. Non est ergo obligatio ex praecepto Ecclesiae neque obligatio gravis ex lege naturae, cum ipsum praeceptum sanctificandi festum sit positivum: positivo vero praecepto fit satis, quantum fieri potest, abstinentia ab operibus servilibus.

III. *Per accidens* tamen teneri possunt fideles ad aliquid aliud, non quidem vi huius praecepti, sed quia ad aliam obligationem implendam necessarium id esse potest. Tenentur enim assistere concionibus seu catechesi diebus festis, si concio sit necessaria ad instructionem christianam vel morum compositionem; quia qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media in hunc finem necessaria. — Billuart, et alii communiter. — Caeterum impense inducendi sunt fideles, ad alia pia opera, praeter Missam, exercenda, ad fusiores preces fundendas etc.

340. — QUAER. *An vel qualis sit obligatio assistendi Officio vespertino, seu Vesperis, diebus Dominicis et festis?*

*Resp.* 1<sup>o</sup> Nulla est obligatio *urgens sub gravi*; agnoscunt enim theologi communiter, non dari aliam obligationem *gravem* praeter Missae auditionem et abstinentiam ab operibus servilibus.

*Resp.* 2<sup>o</sup> Nec probabilius *sub levi, per se et directe*. Etenim si existeret certa obligatio ex universali Ecclesiae lege, non posset ignorari a tot theologis, qui huiusmodi quaestiones perscrutati sunt. Recole auctores modo citatos, scilicet Suarez, Bonacina, etc.

In praxi autem sedulo urgendi sunt fideles, ut Officio vespertino, aliisque publicis divini cultus exercitiis studiose interveniant.

## ARTICULUS II. — DE AUDITIONE MISSAE IN PARTICULARI.

*Agendum* 1<sup>o</sup> de iis quae ad Missam rite audiendam requiruntur; 2<sup>o</sup> de causis ab ea excusantibus.

§. I. *De iis quae ad Missam rite audiendam requiruntur.*

Tria requiruntur: 1<sup>o</sup> praesentia corporis; 2<sup>o</sup> attentio mentis; 3<sup>o</sup> locus debitus.

PUNCTUM I. — *Praesentia corporis.*

Requiritur praesentia corporis moralis et continua.

341. — I. *Moralis*, scilicet quis ita praesens esse debet, ubi fit Sacrum, ut possit dici unus e numero assistentium et offerentium Sacrificium; ad hoc autem sufficit, ut sit in loco unde Missam sequi possit quoad partes praecipuas, sive videndo, sive audiendo, aut ad signa aliorum assistentium attendendo.

II. *Continua*, id est perseverans ab initio ad finem Missae, ita ut graviter peccet, qui omittit notabilem eius partem, et venialiter qui partem exiguum omittit, nisi iusta causa excusetur.

**Resolves.** — 1<sup>o</sup> Missae valide assistit, qui etsi Sacerdotem non videat, nec audiat verba, Sacri partes distinguit sonitu campanulae, cantu chori,

motibus assistentium, quibus moraliter iungitur, licet sit extra Ecclesiam, in qua turba contineri non potest. Item qui stat post altare, post columnam, vel post parietem, modo ad partes praecipuas Missae advertere possit.

2<sup>o</sup> Item *probabilius*, qui est in domo proxima, ex qua per fenestram vel ianuam altare aut assistentes videat, aut partes Missae distinguat, dummodo parvum sit spatium inter Ecclesiam et locum in quo est. Secus autem si magnum spatium aut platea intercedat, ut *communius* docetur. S. Lig. n. 312.

3<sup>o</sup> Non assistit Sacro, qui multum a longe manet, etsi templum, altare, turbam videat, quia in usu communi dici non potest audire et adesse *moraliter*. Iuxta Lugo et alios, spatium triginta passuum a turba assistentium non adeo magnum videtur, ut impediatur, quominus quis Sacro adsit (1).

342. **Quaesita.** — **QUAER.** 1<sup>o</sup> *Quaenam omissio reputanda sit gravis aut levis in Missa?*

*Resp.* Non facile determinari potest (2); quamvis enim iuxta *omnes*

(1) Hanc resolutionem intellige sicut praecedentem de eo, qui e domo prospiciat, etc., sed longo, v. gr. plateae, spatio interiecto. Nam si quis in extremo amplissimae basilicae angulo aut cappella advertere possit, quid agat sacerdos in opposita parte licet dissitissima celebrans, certe satisfacit; quisquis enim intra templum est satis Missae praesens est.

Quoad sententiam Card. de Lugo de 30. passuum distantia S. Alphonsus (lib. 3. n. 312.) scribit, Tamburinium apud Croix (lib. 3. p. 1. n. 643.) *id non admittere*. Atqui Tamburini (*Dec.* lib. 4. cap. 2. § 1. n. 14.) ita habet: *Infero secundo a fenestra domus tuae, si parva sit distantia ad altare Ecclesiae, posse te satisfacere praecepto, inde audiendo Sacrum, etiamsi sit intermedia via publica. Ita De Lugo de Euch. disp. 22. n. 21. quia sic vere praesens es moraliter Sacro: secus erit in magna arbitrio prudentis distantia propter oppositam rationem. Porro De Lugo non generice ibi indicat parvam distantiam, sed eam solum, quae ad 30 passus exten-*

*ditur. Ita ille (l. c.): Potest contingere esse adeo vicinam fenestram altari, ut moralem praesentiam non impediatur; prout de facto in hoc nostro Collegio Romano habemus sacellum privatum, cuius altare a fenestris domus adversae non plus quam 30. passus distat, et perinde ab illa fenestra audiri potest vel percipi Missa, licet, via publica intercedat. Ergo Tamburini sententiam de Lugo plane amplectitur.*

(2) Quod attinet ad iudicium, graviterne, an leviter poenitens istis omissionibus peccaverit, vix ullius usus haec quaestio est. Fere enim hae omissiones fortuito et involuntarie, aut ex quadam negligentia contingunt. In peccatis autem negligentiae (ut apposite in hanc rem advertit Suarez *De Euch.* disp. 88. sect. 2.) non ab eventu seu effectu dimetienda gravitas est, sed ab horum praevisione. Quaestio igitur ad hoc tantum fere deservit, ut definiatur, quandonam quis ad aliam Missam iterum audiendam vi praecepti teneatur, si alterius partem omisit; an omissa (sive culpabiliter sive inculpabiliter) quapiam parte,

tertia pars Missae sit notabilis, non tamen constat, quae sit tertia pars, cum pars notabilis non tantum a diuturnitate diiudicari debeat. Haec tamen iuxta communem sententiam statui posse videntur.

1<sup>o</sup> Grave est omittere omnia usque ad Offertorium *inclusive*. Leve autem certo est omittere omnia usque ad Epistolam *exclusive*, et *probabilius* etiam *inclusive*; imo *probabiliter* etiam, iuxta S. Lig. n. 310., usque ad Evangelium *inclusive*, licet S. Doctor oppositam sententiam ut *probabilior* habeat. Ratio horum est, quia quae praecedunt, proprie ad Sacrificium non pertinent, sed sunt tantum veluti praeparatio ad illud. — Lugo, etc.

2<sup>o</sup> Grave est iuxta *omnes* omittere omnia ante Evangelium et simul omnia post Communionem; non vero omittere illa tantum, quae Communionem sequuntur, imo nec omittere omnia ante Epistolam et omnia post Communionem. — S. Lig. n. 310. — Lacroix, n. 666.

3<sup>o</sup> Gravis habenda est omissio *Canonis* a Consecratione usque ad *Pater exclusive*; quia est pars notabilis diuturnitate et dignitate. Levis autem reputatur omissio *Offertorii*; item omissio *Symboli* (3) et *Praefationis*, etiamsi decantentur, quia haec ad essentiam Missae non pertinent. — S. Lig. *ibid.* — Evangelium autem *S. Ioannis* in fine *probabiliter* non est pars Missae, quia ante illud iam dimittitur populus per benedictionem.

4<sup>o</sup> Grave est omittere Consecrationem et Communionem; imo et solam Consecrationem, quia est pars dignissima, in qua, saltem praecipue, consistit Sacrificii ratio. Quin imo *probabilius* grave est uni tantum Consecrationi non adesse; quia essentia Sacrificii *probabilius* in utraque Consecratione consistit. — S. Lig. *Hom. apost.* n. 33. Utrum vero solam Communionem praeterire sit grave, *controvertitur*; affirmativa sententia est S. Alphonso *probabilior*, quia existimat, essentiam Sacrificii etiam in Communionem consistere. Communior tamen sententia eam in sola Consecratione reponit.

teneatur quis vi praecepti assistere parti, quae superest, et cui unice potest interesse.

Licet porro vi praecepti integrae Missae adesse ita teneamur, ut nulla voluntaria omissio per se aliqua culpa careat, tamen cum non omnes partes eandem dignitatem habeant, et alia sit ratio Missae *catechumenorum*, alia Missae *fidelium*, quae ab Offertorio ad Sumptionem se protendit, imo cum in hac ipsa aliae sint partes

Sacrificii essentiales, aliae vero plus minusve habeant propinquitatis ac necessitatis ad Sacrificii substantiam; hinc ratio patet, cur omissionis gravitas aut satisfactio praecepti quoad substantiam modo a mensura materiali temporis, modo vero a partium dignitate definienda debeat.

(3) Symboli, sive canatur sive recitetur utpote partis *non regularis*, rationem habendam non esse censet cum aliis S. Alphonsus, (lib. 3. n. 310.).